

contenti erant, quod FALSOS de illo constituissent TESTES, ut *testimonium* perhiberent l) illum esse VATEM MENDACEM et BLASPHEMVM; sed etiam nimis *praecipites* erant in *diiudicando* et *condemnando*, uti phrases, m) *ἐπισαντες συνηρπασαν αυτον*, porro n) *ἐκβαλοντες ἐξω της πολεως ἐλιθοβολην*, quibus LV CAS usus est, factis superque demonstrant. Instabant igitur Iudaei magna animi commotione, ut STEPHANVS ad supplicium duceretur, ne forte alicui in memoriam reuocaretur lex antea exposita de PROCRASTINANDA SENTENTIA CONDEMNATORIA; et cum forte animaduernerent amicos STEPHANI ad eam legem se recipere uelle, uiolentis manibus admotis eum ad supplicium rapiebant, et ex urbe in magno tumultu eiiciebant. Credebant enim periculum esse in mora, si IUDICIUM CONDEMNATIONIS de supplicio subeundo IN CRASTINVM DIFFERRENT, et timebant, ne illae res, quae in *accusatione*, et TESTIVM *exploratione* ad innocentiam ipsius probandam multum conferre poterant, plebi aperirentur, et ipsi in perficienda prauitate sua impedirentur.

§. IX

LAPIDANDVS A VIA REDVCI POTERAT SI FORTE ARGVMENTVM INNOCENTIAE IVDICIBVS INNOTVISSET

Quum igitur IUDICIUM CONDEMNATIONIS finitum, et sententia de REO plectendo lata esset, non diutius huius IUDICII

I 3

EXECU.

l) Actorum Cap. VI. u. 13. *ἐσησαν τε μαρτυρας ψευδεις λεγοντας κ. τ. λ.*
conf. hui. Diss. pag. 17.

m) hui. Cap. u. 12.

n) Cap. VII. u. 58.